

### DISPUTATIO III

#### *In tres sectiones distributa*

#### DE PASSIONIBUS ENTIS IN COMMUNI ET PRINCIPIIS EIUS

Explicata formali ratione obiecti adaequati huius scientiae, antequam ad particularia obiecta descendamus per varias entis divisiones, oportet de passionibus illi adaequatis et quae cum illo convertuntur, disputare, quoniam proprium munus scientiae est passiones de suo subiecto demonstrare. Hic ergo de his passionibus in communi, postea de singulis in speciali dicemus; quia vero scientia utitur aliquibus principiis ad suas passiones demonstrandas, hic etiam breviter declarabimus quibus principiis uti possit aut debeat haec doctrina. Agimus autem hic de principiis cognoscendi, quae solent principia complexa vocari; nam de principiis seu causis realibus inferius dicemus.

#### *SECTIO PRIMA*

#### *UTRUM ENS IN QUANTUM ENS HABEAT ALIQUAS PASSIONES, ET QUALES ILLAE SINT*

1. Ratio dubitandi est, quia, ut aliqua sit vera et realis proprietas alterius, quatuor conditiones ut minimum requirit. Prima est, ut ipsa proprietas sit aliqua res, nam si sit nihil, quomodo esse poterit realis proprietas? Secunda, ut distinguatur aliquo modo ex natura rei ab illo cuius est proprietas, nam si sit omnino idem cum illo, potius erit essentia, vel de essentia eius, quam proprietas. Tertia, ut adaequate illi conveniat seu cum illo convertatur; agimus enim de proprietate, quae per se secundo alicui convenit; nam haec sola est quae sub scientiam cadit et demonstrari potest. Quarta denique est, ut subiectum seu id cuius est proprietas non sit de intrinseca ratione et essentia talis proprietatis, quia, ut Aristoteles dicit, VII Metaph., c. 5, text. 18, et I Poster., c. 18, text. 35, subiectum non cadit intrinsece et essentialiter, sed solum ut additum in definitione passionis; alioqui mutuo ita se haberent, quod passio conveniret subiecto per se secundo, subiectum autem passioni per se primo; quae videtur aperta repugnantia. Sed fieri non potest ut respectu entis sit aliqua proprietas quae has omnes conditiones habeat, nam, si proprietas realis est, intrinsece et essentialiter est ens reale; quia nempe omnino non ens, neque solum ens rationis esse potest; quia (ut dicebam) quod nihil est, vel solum per rationem fingitur, non potest esse realis passio entis realis; debet ergo esse aliquid reale; ergo est ens reale quidditative et essentialiter, nam, ut supra contra Scotum probatum est, nihil potest esse reale, quod intrinsece et essentialiter ens reale non sit. Repugnat ergo esse proprietatem realem entis realis ut sic, quia si est proprietas realis, ergo ens est de essentia eius; si autem ipsa est proprietas entis, ens non potest esse de essentia eius, quia, ut dicebamus, subiectum non potest esse de essentia passionis. Rursus id quod est essentialiter ens, non potest ex natura rei distinguere ab ente, ut supra generaliter probatum est; ergo nec potest esse passio entis. Item, quod est essentialiter ens, et non est ipsum ens in communi, est inferius ad ens; ergo non convertitur cum ente; ergo non potest esse proprietas entis. Tandem, quod est essentialiter ens debet habere omnes proprietates entis, si quae illae sunt; ergo non potest illud ipsum esse proprietas entis, alioqui esset proprietas sui ipsius, quod plane repugnat; vel certe includeret aliam proprietatem sibi similem et a se distinctam; et idem rursus de illa dici posset, et sic procederetur in infinitum.

#### *Variae sententiae referuntur*

2. *Prima Scoti sententia.*— In hac re tres invenio dicendi modos. Primus est, ens habere reales et positivas proprietates ex natura rei ab ipso distinctas, quae tamen in se intrinsece et essentialiter entia non sunt. Sumitur ex Scoto locis supra citatis, In I, dist. 3, q. 3 et dist. 8, q. 2, et in dist. 2, q. 3 et 6. Fundamenta eius quoad duas ultimas partes tacta sunt in ratione dubitandi. Prima vero pars probari breviter potest, primo ex generali sententia omnium, qui has passiones enti tribuunt, unum, verum, bonum, quae non sunt conficta ab intellectu, sed vere et realiter enti conveniunt, et sunt extra naturam ipsius entis, quia esse unum, etc., non ita essentialiter praedicatur de rebus sicut esse ens. Item, quia scientia non demonstrat de obiecto suo reali nisi

proprietates reales; sed metaphysica est vera scientia demonstrans de suo obiecto has passiones; sunt ergo hae verae et reales passiones. Et hoc significavit Aristoteles, IV Metaph., c. 1, dicens *hanc scientiam contemplari ens, quatenus ens, et ea quae illi per se insunt*; neque enim per se inesse possunt reali quae realia non sunt; habet ergo ens proprietates reales.

3. *Secunda sententia.*— Secunda sententia, quam defendunt aliqui thomistae, convenit cum Scoto imprimis in hoc, quod necesse est ens habere passiones reales, quia non potest omnino nullas habere, alioqui non posset esse obiectum scientiae; si autem reales non sunt, nullae sunt, quia quod reale non est, non potest semper, per se, ac necessario enti convenire; quod tamen est de ratione propriae passionis. Unde consequenter concedunt has passiones distingui formaliter ex natura rei ab ente, quia hoc etiam est de ratione proprietatis realis. Item, quia huiusmodi passiones non praedicant formaliter essentiam rei, sed modum extra essentiam. Unde haec propositio: Homo est ens, est in primo modo dicendi per se, non tamen haec: Homo est unus, propter quod Aristoteles, IV Metaph., text. 2, ait ens et unum esse idem, non tamen simpliciter et ut synonyma, sed ut principium et causam. Addit vero haec sententia contra Scotum has passiones, etiam formaliter sumptas, includere essentialiter ens propter easdem rationes quibus id supra probatum est de differentiis vel modis realibus, eadem enim procedunt de huiusmodi passionibus, supposito quod positivae sint et reales. Unde consequenter asserunt in his transcendentibus non esse inconveniens, subiectum includi intrinsece in passione, quia non includitur ut subiectum, sed ut determinatum ad talem modum, qui modus est passio ipsius entis secundum se sumpti; et potest esse adaequatus illi et converti cum illo, quia non determinat illud ad speciale genus entis, sed afficit illud quodam modo communi et universali omnibus entibus. Nam ut D. Thomas ait, q. 1 de Verit., a. 1, dupliciter aliquis modus exprimitur vel additur supra ens, scilicet, aut tamquam specialis modus entis aut tamquam modus generaliter consequens omne ens. Atque ex his putant huius sententiae auctores posse expediri totam dubitandi rationem in principio positam.

4. *Tertia sententia.*— Tertia sententia est, ens non habere reales passiones positivas, sed omnia illa quae attribuuntur enti tamquam passiones eius addere ipsi enti solum negationem aliquam vel respectum rationis. Haec est sententia D. Thomae, dict. q. 1 de Verit., a. 1 et q. 21, a. 1, quam etiam significat in I, q. 5, 11 et 16, et ubicumque de his proprietatibus entis in particulari disputat. Eandem tenet Soncin., IV Metaph., q. 1, ad 1, q. 17 et 19, ad 9, et lib. V, q. 14; Iavell., IV Metaph., q. 2; Soto, in Praedic., c. de Proprio, q. 2, ad 2; Caiet., I, q. 54, a. 2; Fonseca, IV Metaph., c. 2, q. 3. Fundamentum huius sententiae explicatum est in ratione dubitandi in principio posita, et in rigore est vera, indiget tamen explicatione.

#### *Declaratur vera sententia*

5. *Proprietas, quae a subiecto in re distincta, quae non item.*— *Exempla.*— Est igitur imprimis advertendum, aliud esse praedicatum aliquod esse veram et realem passionem subiecti, aliud vero concipi, explicari et praedicari a nobis per modum passionis seu proprietatis, quod proprius diceretur per modum attributi, ad eum modum quo theologi loquuntur de divinis perfectionibus. De ratione igitur verae ac realis passionis sunt illae conditiones positae in principio; ad posteriorem autem modum attributi seu proprietatis non sunt necessariae, praesertim illa de distinctione ex natura rei, sed sufficit distinctio rationis, qua unum ut subiectum habens aliquam essentiam seu rationem formalem, saltem confuse conceptam, aliud vero per modum perfectionis seu proprietatis concipiatur. Cuius rei exempla praeter adductum de attributis divinis sumi possunt ex Aristotele, in Praedic., ubi varias proprietates illis attribuit, quae non possunt aliter distingui aut explicari; ut, verbi gratia, docet esse proprietatem quantitatis quod sit fundamentum aequalitatis et inaequalitatis, quae proprietas nihil dicit in re distinctum a quantitate, sed est solum aptitudo, quae nihil aliud est quam ipsa quantitas; concipitur autem a nobis ut ratione distincta ad distinctius explicanda munera ipsius quantitatis. Et eodem modo posset attribui quantitati, ut proprietas eius, esse subiectum proximum corporalium accidentium, quod tamen in re nihil dicit ab ipsa quantitate ex natura rei distinctum.

6. Secundo observandum est, in huiusmodi attributis formaliter sumptis aliud esse quod ipsa sint entia realia vel rationis; aliud quod distinguantur re vel ratione; optime enim fieri potest

ut sint realia, quamvis non re, sed ratione distinguantur, ut in exemplis positis facile patet; et ratio est clara, quia distinctio rationis, quae oritur ex praecisione intellectus, non est per conceptionem alicuius fictae entitatis, quae non sit in re, sed per modum solum inadaequatum concipiendi veram rem; potest ergo esse attributum reale, quamvis modus attributionis et distinctionis sit solum per rationem. Quin potius, si proprie loquamur, ut attributum sit sola ratione distinctum a reali subiecto, oportet quod sit attributum reale et non rationis tantum vel privativum; alioqui, formaliter loquendo, plus quam ratione distingueretur, scilicet ut non ens ab ente, vel ut ab ente vero ens fictum. Quocirca observare etiam oportet, in huiusmodi attributis aliud saepe esse quod per illa formaliter significatur, aliud vero quod per illa a nobis explicari intenditur; saepe enim id quod formaliter significatur est negativum, per illud autem a nobis explicatur positiva et realis perfectio rei, ut simplicitas, quae a nobis assignatur ut attributum Dei, vel quorundam aliorum entium in suo gradu, formaliter in negatione consistit; per eam vero nos explicamus talem modum, vel entitatem rei simplicis.

7. *Entis duplex significatum.*— Ultimo observandum est ex Aristotele, V Metaph., text. 14, et D. Thom. I, q. 48, a. 2 ad 2, et In I, dist. 19, q. 5, a. 1, *ens* proprie et in rigore significare entitatem rei, quomodo hactenus de illo locuti sumus; interdum vero dici *ens* quidquid simpliciter de aliquo affirmari potest; nam quia affirmatio fit per verbum essendi, quidquid simpliciter attribuitur rebus, quamvis in eis nullam entitatem ponat, dici solet ens seu esse; huiusmodi autem praedicata seu attributa videntur posse ad duo capita revocari. Unum est eorum, quae in negatione vel privatione consistunt, sic enim dicimus rem esse indivisibilem, actum moralem esse malum, hominem esse caecum, et similia. Aliud est eorum quae consistunt in denominationibus extrinsecis sumptis ex rebus ipsis, quomodo dicitur Deus creator ex tempore, vel paries visus, etc.; haec autem denominatio interdum sumitur ut actualis et requirit coexistentiam utriusque extremi, ut in exemplis positis, interdum vero ut aptitudinalis, sicut dicitur paries visibilis, etc.

8. *Non habet ens passiones positivas ab ipso in re distinctas.*— His positis, dico primo ens ut ens non posse habere veras et omnino reales passiones positivas ex natura rei ab ipso distinctas. Haec est sententia D. Thomae, citatis locis, qui recte advertit sermonem esse de ente in quantum ens; nam, in quantum tale ens, bene potest habere passiones reales ex natura rei distinctas, quia tale ens ut sic potest esse extra essentiam alterius entis, et consequenter etiam extra essentiam suae passionis; ens autem in quantum ens non potest esse extra essentiam alicuius entis; et ideo nulla proprietas vel passio potest esse realis, quin in ea essentialiter includatur ens, et ideo non potest esse ex natura rei distincta ab ente; nam, ut supra ostensum est, ens in quantum ens non distinguitur ex natura rei ab omni ente, in quo includitur essentialiter, et hoc est potissimum fundamentum conclusionis; quod variis modis confirmari et explicari potest. Primo, quia sive ratio entis solitarie ac praecise consideretur, sive ut est in rebus, nulla passio ex natura rei distincta invenietur manare ab illa, vel ab aliqua re, ex eo praecise quod concipitur esse ens, sed ex eo tantum quod est tale ens. Quod patet inductione, nam attributa entis hactenus inventa solum sunt illa quae transcendentia vocantur; illa autem, vel positiva non sunt vel non sunt realia intrinseca vel si aliquo sensu talia sunt, non sunt ex natura rei ab ente distincta; quod melius constabit tractando de singulis his attributis. Nunc breviter declaratur, quia haec attributa sunt communia Deo et propriissime in illo reperiuntur absque distinctione ex natura rei. Quod si dicas secus esse in creaturis, imprimis hoc dicitur sine fundamento; oporteret enim speciale aliquod indicium distinctionis eius vel necessitatem assignare; nihil autem huiusmodi afferri potest. Ac deinde est optima ratio, quia nunc agimus de ente in quantum ens ut abstrahit a Deo et creaturis; ergo quae illi attribuuntur, vel attribuuntur ut ex natura rei distincta vel non; si hoc posterius dicatur, id est quod intendimus, nam si in aliquo ente haec distinguantur, id erit ex peculiari ratione, de quo postea videbimus; si vero dicatur prius, sequitur in omni ente, etiam in Deo, distingui ex natura rei, quia quidquid superiori per se attribuitur debet convenire omni inferiori.

9. Et potest hoc amplius urgeri, quia ipsum ens in quantum ens, ex eo praecise quod tale est, absque alio modo reali ei superaddito et ex natura rei distincto, habet quidquid positive necessarium est ut sit unum, verum, bonum, etc., unde in ipsomet explicandi modo dicimus ens

esse, quia habet veram essentiam et perfectionem aliquam realem, etc. Nec refert quod possit mens concipere et considerare rationem entis non expresse considerando alias rationes, quia hoc ad summum indicat distinctionem rationis, vel aliquid negativum aut extrinsecum in illis attributis inclusum vel connotatum, ut postea declarabimus. Tandem huiusmodi distinctiones ex natura rei difficillime intelliguntur, et ideo sine sufficienti indicio et ratione non sunt multiplicandae; hic autem nullum est apparens indicium huius distinctionis, ut facile patebit ex dicendis et ex solutionibus argumentorum. Et alioqui propter transcendentiam entis est in eo multo difficilior haec distinctio, ut rationes etiam in principio factae ostendunt, praesertim illa quod subiectum sit de essentia passionis, cum tamen passio sit veluti accidens subiecti. In quo etiam specialem repugnantiam involvit, quod ens in quantum ens, quod abstrahit ab essentia substantiali et accidentali, simplici vel composita, actuali vel potentiali, perfecta vel imperfecta, perficienti aut perfectibili, postulet aut requirat passiones distinctas, quae sint velut quaedam intrinseca accidentia, quibus perficiatur.

10. *Vera attributa habet ens.*— *Passiones entis non dicunt de formali entia rationis, et contraria locutio quomodo explicanda.*— Dico secundo ens in quantum ens habere aliquas proprietates seu attributa, quae non sunt per rationem conficta, sed vere et in re ipsa de illo praedicantur. Hoc totum probatur optime rationibus tactis in prima et secunda sententia. Simpliciter enim verum est unumquodque ens esse unum et bonum, etc.; ut autem haec vera sint, non oportet ut mens fingat aliqua entia rationis; quamvis enim mens nihil de rebus cogitet, aurum est verum aurum et est una determinata res distincta ab aliis; et similiter Deus est unus et bonus, etc. Praeterea hoc recte probatur illa ratione quod metaphysica, quae est realis ac vera scientia, haec demonstrat de ente; non autem demonstrat aliquid ab intellectu fictum. Quapropter, si in hoc rigore loquamur de ente rationis, non recte dicuntur haec attributa significare de formali entia rationis, quia huiusmodi entia proprie solum dicuntur esse obiective in intellectu; unde solum sunt quando cognoscuntur aut finguntur ab intellectu; haec autem attributa revera non pendent ex fictione intellectus, sed absolute et ante omnem intellectus considerationem enti ipsi conveniunt, ut dictum est. Huiusmodi ergo locutiones, ut verae sint, quadam latiori ratione exponendae sunt, quatenus omne id, quod non ponit in re cui tribuitur aliquid reale positivum et intrinsecum, dici potest ens rationis, vel ut distinguitur contra ens reale proprium, habens veram et intrinsecam entitatem, vel fundamentaliter, scilicet, quia intellectus ad distincte concipiendum et praedicandum huiusmodi attributa sumit ex eis fundamentum ad confingenda aliqua entia rationis.

11. *Quid addant de formali passiones entis.*— Dico tertio: haec attributa entis de formali addunt vel negationem vel denominationem sumptam per habitudinem ad aliquid extrinsecum; per ea tamen explicatur realis positiva perfectio entis, non secundum aliquid reale superadditum ipsi enti, sed secundum ipsammet formalem seu essentialem rationem entis. Hanc conclusionem indicasse mihi videtur Arist., IV Metaph., c. 2, simul dicens ens et unum eandem dicere naturam, et nihilominus non idem formaliter significare; quia nimirum unum de formali addit negationem, quam non dicit ens; per eam vero nihil aliud explicatur quam ipsamet natura entis, quod infra latius declarandum est. Similiter autem dicendum est de vero et bono, et si quae sunt alia huiusmodi attributa; haec enim formaliter, et in ordine ad conceptionem nostram, non dicunt idem quod ens, neque etiam dicunt negationem, ut ex se constat; significant ergo ens sub quadam habitudine ad aliud, scilicet, quatenus in se habet unde ametur, aut vere cognoscatur, aut aliquid simile, prout suis locis declarabimus. Et ita videtur rem hanc plane exponere divus Thomas citatis locis. Ratio autem huius conclusionis est, quia haec attributa non sunt synonyma ipsi enti; alias nullo modo dici possent proprietates seu attributa, essetque nugatio dicere ens esse unum aut bonum; oportet ergo ut de formali significant aliquid praeter ens; non possunt autem de formali significare entitatem aliquam superadditam enti ab ipsoque ex natura rei distinctam, ut ostensum est; neque etiam significare possunt entia rationis in rigore sumpta, ut dixi; ergo nihil aliud dicere possunt, nisi aut negationem, aut privationem vel aliquam habitudinem seu denominationem extrinsecam. Rursus omnis haec attributorum ratio eo tendit ut perfectius a nobis cognoscatur et explicetur entis natura; alioqui frustra esset et impertinens ad scientiam entis; non autem ita est, sed valde accommodata, nam, quia nos

simplicia non perfecte cognoscimus prout in se sunt, partim negationibus, partim comparationibus ad res alias utimur ad ea distincte explicanda. Sic igitur, quamvis haec attributa de formali addant negationes vel alias habitudines, tamen per illas omnes explicatur entis natura, vel quoad perfectionem, vel quoad integritatem aut aliquid simile. Dixi haec attributa solum addere supra ens negationem vel quid simile, quia sub controversia positum est an formaliter seu in abstracto haec attributa dicant solam negationem seu relationem, vel includant entitatem ipsam, quod melius in singulis passionibus explicabitur.

*Solvuntur argumenta*

12. Ad rationem ergo dubitandi in principio positam, simul cum adiunctis in prima et secunda opinione, facilis est solutio ex dictis; iam enim concessum est haec attributa non esse proprias passiones reales cum eo rigore et proprietate ut necessarium sit omnes conditiones ibi numeratas eis convenire. Declaratum etiam est quo sensu haec attributa realia dici possint, scilicet, quia de formali dicunt aliquid, quod suo modo in rebus et vere ac simpliciter potest enti attribui per modum privationis vel denominationis realis seu aptitudinis realis cum habitudine ad aliquid extrinsecum. Et hoc est satis ut haec attributa secundum id totum quod includunt non sint proprie essentialia, et ideo dicantur esse ad modum passionum seu proprietatum. Sufficit etiam hoc. ut possint haec attributa sub scientiam cadere, quandoquidem et in rebus sunt, et eo modo quo sunt ens ipsum consequuntur et ad illius naturam explicandam conferunt. Eo vel maxime quod ad rationem scientiae et ad demonstrationes conficiendas sufficit distinctio rationis inter attributa, quia nos, sicut concipimus, ita etiam ratiocinamur, et ita de Deo vere demonstramus esse immortalem, quia immaterialis est, et sic posset etiam fieri in attributis entis, etiamsi sola ratione ab ipso ente distinguerentur. Tandem ex dictis etiam constat quomodo ens non dicatur essentialiter de his proprietatibus seu attributis suis, nam secundum rem quidem essentialiter dicitur de illis, quia illa nihil aliud explicant quam ipsam entis naturam; tamen non est de essentia illorum quantum ad id quod addunt supra ens, quia negatio, verbi gratia, quam formaliter addit unum non est essentialiter ens verum et reale, quale est illud quod dicitur esse quasi subiectum harum proprietatum; et ita evitatur processus in infinitum et alia incommoda quae in argumentis tangebantur.

13. *Qualiter attributa entis inter se differant.*— Ultimo ex dictis colligitur quomodo possint hae proprietates seu attributa inter se distingui, nam quoad rem intrinsecam, quam in ente significant, non distinguuntur in re, cum nihil dicant ex natura rei distinctum ab ente, ut ostensum est; et hoc modo dici solet quod in re entitas rei est bonitas eius et veritas, et e converso. At vero si consideremus id quod de formali addunt, dici possunt formaliter differre, non quidem ratione formali intrinseca et positiva, sed vel negativa vel extrinseca, ut ex dictis satis constat et patebit amplius ex dicendis in particulari de singulis.

*SECTIO II*

*QUOT SINT PASSIONES ENTIS ET QUEM ORDINEM INTER SE SERVENT*

1. *Rationes reddunt quaestionem ancipitem.*— Solent communiter sex transcendentia numerari, ens, res, aliquid, unum, verum, bonum; ex quibus videtur colligi quinque esse passiones entis, quia tot sunt praedicata quae cum illo convertuntur, et non plura. In contrarium autem est, quia neque illa omnia possunt habere rationem passionis et praeter illa possunt alia a nobis excogitari. Primum probari potest ex dictis, quia res solum dicit de formali rei quidditatem, et ratam seu realem essentiam entis; [haec autem non est proprietas entis]<sup>1</sup>; unde multi censent magis essentialia praedicatum esse rem quam ipsum ens. Similiter *aliquid*, cum distinguatur immediate contra nihil, nihil aliud formalissime significare videtur quam ipsummet ens; perinde enim dictum videtur *aliquid* ac habens aliquam quidditatem; haec autem formalis significatio coincidit cum significatione rei et entis.

<sup>1</sup> [haec autem... entis], 1605 *add.* “En algunas ediciones, por ejemplo en la de B. Colosino, sigue a *entis* esta cláusula: *haec autem non est proprietas, sed potius essentia entis.*” Cf. BHF, v. I, p. 464.

2. Secundum probatur, quia praeter illa praedicata videntur alia communia omni enti, ut verbi gratia, durare et esse alicubi; haec enim necessario comitantur omnia entia. Quod si dicas haec non convenire enti nisi ut existenti, hic autem esse sermonem de ente secundum se abstrahendo ab actuali existentia, contra hoc est quia etiam illae proprietates durationis vel localis praesentiae possunt secundum se considerari abstrahendo ab actuali existentia, et ut sic intelligentur habere connexionem per se cum ente; unde, sicut haec praedicatio: *Ens est unum* est perpetuae veritatis absolvendo copulam a tempore, ita et haec: *Ens habet durationem vel praesentiam localem*. Est autem specialis difficultas de ipso esse actualis existentiae, nam videtur esse proprietas quaedam ipsius entis secundum se sumpti, quia non convenit ei essentialiter nec omnino per accidens. Rursus praeter has passiones simplices videntur esse aliae complexae seu disiunctae; sicut enim proprietas numeri dici potest quod sit par vel impar, et quantitatis quod sit finita vel infinita, ita entis passio dici potest quod sit finitum vel infinitum, actu vel potentia, aut similia. Ultimo, si ad passiones entis, ut dictum est, sufficiunt negationes seu habitudines rationis, hae poterunt in infinitum multiplicari, ut esse idem, non esse impossibile, esse amabile, esse intelligibile, etc.

#### *Quaestionis resolutio*

3. *Passiones entis tres tantum.*— Haec quaestio solum proponitur ut tractationem hanc de passionibus entis ad certa capita revocemus, et ideo breviter dicendum est, si proprie loquamur et non fingamus distinctiones minime necessarias, tres tantum esse proprias passiones entis, scilicet, unum, verum et bonum. Quod enim hae tres inter se distinctae sint saltem ratione formali, sive illa sit negativa, sive positiva, sive realis, sive rationis, facile quis sibi persuadent. Primo, ex communi sententia omnium scribentium de hac materia. Secundo, ex communi modo concipiendi et significatione ac interpretatione ipsarum vocum, nam unum ut sic solum significat quod res sit in se integra et indivisa; unde formaliter negationem addit, in quo distinguitur a vero et bono. Haec autem inter se distinguuntur, quia verum dicit adaequationem vel habitudinem ad intellectum, bonum autem ad voluntatem seu appetitum tamquam conveniens illi, sive hoc dicat formaliter sive fundamentaliter; hae autem sunt rationes vel habitudines valde diversae. Quod etiam a contrariis facile declarari potest; nam unitas opponitur multitudini, bonitas malitiae, veritas falsitati; haec autem valde distincta sunt. Tandem ex his, quae in particulari de his passionibus dicemus, hoc evidentius constabit, simulque ostendemus, quodlibet istorum attributorum convenire omni enti atque ita converti cum ente; sunt ergo hae tres passiones entis.

4. *Res et ens non se habent sicut essentia et passio.*— Quod autem praeter has non sint aliae, colligi potest ex D. Thomae doctrina; licet enim saepe numeret illa sex transcendentia, eorumque rationem et sufficientiam declaret, ut q. 1 de Verit., a. 1, q. 21, a. 1, et saepe alias, tamen, cum in particulari agit de his proprietatibus, nunquam tractat nisi de illis tribus, ut patet ex I, q. 5, 11 et 16, et in dictis quaestionibus disputatis. Potestque in hunc modum declarari ex dictis; nam *res* et *ens* iuxta communem usum tamquam synonyma usurpantur; et interdum de ente actu existente dicuntur, interdum vero ab actuali existentia praescindunt, quare neutrum est passio alterius. Cuius etiam signum est quod unum nunquam praedicatur de alio, et si ita praedicetur, censetur esse nugatio seu identica praedicatio. Alia vero praedicantur de ente, illique adiunguntur, ut adiectivum substantivo; sic enim dicitur ens unum, ens verum, etc.; ens autem et res substantiva sunt, neque possunt eo modo coniungi; signum est ergo unum non esse passionem alterius. Quod si velimus haec duo in eo rigore distinguere quo D. Thomas supra ex Avicenna illa distinxit, quod res praescindat ab existentia actuali et meram quidditatem significet, ens autem sumptum sit ab esse et solum dicat ens actualiter existens, sic constat rem non significare passionem entis, sed esse praedicatum maxime quidditativum. Et potius ens significabit aliquid extra essentiam, saltem in creaturis. Tamen etiam ens non poterit dici passio rei; existentia enim non est passio creaturae existentis, vel quia non manat ex principiis eius intrinsicis, sed ab extrinseco illi provenit, vel quia non convenit illi necessario ac per se; unde neque sub scientiam proprie cadit actualis existentia creaturae, quatenus actu pendet a voluntate libera creatoris; quid autem sit haec existentia et quomodo distinguatur ab essentia creaturae, res est obscura, quam infra tractando de ente creato in particulari disputabimus. Si autem, iuxta

opinionem quamdam supra tractatam, ens non solum ut dicit actu existens, sed etiam ut dicit aptum ad existendum, distingueretur a re, prout absolute dicit habens quidditatem realem, sic ens esset prima passio rei; sed hoc supra improbatum est, quia in prima ratione quidditatis realis intrat aptitudo ad existendum, et in hoc primo distinguitur quidditas realis a non reali seu ficta. In his ergo duobus nulla passio entis continetur. Scio Averr., in sua paraphrasi, c. de Re, dicere *rem* significare non solum rem veram, sed fictam; sed hoc commune est enti, et solum est secundum aequivocam significationem. De qua et de aliis aequivocis significationibus harum vocum dicam in sequentibus.

5. *Aliquid, iuxta varias vocis etymologias, vel entis vel unius est synonymum.*— Rursus *aliquid* duplicem etymologiam seu interpretationem habere potest. Una est quod idem sit aliquid quod habens quidditatem aliquam; sive enim haec fuerit prima derivatio vocis sive non, tamen iam in communi usu in hoc sensu accipi videtur; aliquid enim et nihil contradictorie seu privative opponi censentur; *nihil* autem idem significat quod non ens vel non habens entitatem ullam; aliquid ergo idem est quod habens aliquam entitatem vel quidditatem. In hac ergo significatione constat aliquid non esse passionem, sed synonymum entis; idemque censetur etiam secundum formalem rationem et conceptum dicere de aliquo esse aliquid et dicere ens, et ita opinatur de hoc attributo Fonseca., IV Metaph., c. 2, q. 5, sect. 2.

6. Alia vero etymologia huius attributi est quam tangit D. Thomas, cit. locis, scilicet, ut *aliquid* dicatur quasi aliud quid, quae videtur conformior primae impositioni huius vocis, ut constat ex latinis auctoribus, iuxta quam haec vox significat de formali aliquid distinctum ab ente, scilicet, distinctionem ab alio seu negationem identitatis cum alio. Hoc tamen sensu attributum hoc vel non est diversum ab uno, vel in eo includitur tamquam consequens illud. Unum enim dicitur quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio, ut infra videbimus; ergo in ratione unius includitur illa negatio quae importatur in voce *aliquid*, vel ad illam revocatur, et ideo hoc attributum non ita auget numerum harum passionum ut oporteat de illo aliquid specialiter tractare; sed explicata ratione unius, et consequenter multitudinis, quae illi opponitur, et identitatis vel distinctionis, quae in eius ratione aliquo modo fundantur, explicatum manebit hoc praedicatum *aliquid*. Nam, licet negatio in illo conclusa possit distingui ratione a negatione inclusa in uno, quod unum dicat negationem multitudinis, aliquid vero solum dicat negationem identitatis cum alio, quomodo distinguuntur *unum* et *aliquid* a D. Thoma, q. 1 de Verit., a. 1, tamen quia posterior negatio in priori fundatur, et nullam specialem habet difficultatem in doctrina de his passionibus tradenda, non oportet eas distinguere. Dicunt vero aliqui, ut Iavellus, in tract. de Transcend., c. 3, *aliquid* dicere actualem divisionem ab alio ente, ita ut ante mundi creationem Deus esset unus, non autem aliquid. Sed hoc impropriissime dictum est; quis enim dicat ens non esse aliquid, propterea quod alia non existant? Immo in illo sensu *aliquid* non potest esse passio entis, cum non conveniat omni enti; ergo ut est passio solum dicit negationem illam in aptitudine et respectu alterius entis existentis vel possibilis, et hoc modo, ut dixi, in unitate fundatur et cum illa simul explicatur.

7. Ex dictis ergo sex transcendentibus tantum relinquuntur tria supra numerata, quae possint esse passionem entis, quorum sufficientiam tradit D. Thomas, cit. loco de Verit., et q. 21, a. 1, quia passionem entis debent aliquid addere supra ens et non possunt addere aliquid positivum reale; ergo vel negativum vel positivum rationis seu per denominationem aut convenientiam ad aliquid extrinsecum. Priori modo constituitur passio unius, quia negatio illa indivisionis in se et divisionis a quolibet alio consequitur omne ens secundum se et absolute consideratum, et nulla alia est quae necessario conveniat omni enti ut sic. Posteriori modo constituuntur duae aliae passionem, una per respectum seu convenientiam ad intellectum; alia per habitudinem et convenientiam ad appetitum et voluntatem; nam hae duae facultates et nullae aliae sunt universales, et respiciunt omne ens sub diversa ratione.

8. *Qualis inter passionem entis ordo servetur.*— Atque hinc colligunt auctores, ex his tribus passionibus unitatem esse primam, quia est absoluta; convenit enim omni enti ex se, et non per denominationem ab alio extrinseco, neque proprie per relationem ad aliud, quam significant aliquo modo verum et bonum, quatenus convenientiam cum alio dicunt; absoluta autem sunt priora respectivis ex genere suo. Dices, etiam unum, ut dicit divisionem ab alio,

importare habitudinem ad aliud. Respondetur primum de ratione unius non esse illam negationem, quod sit aliud a quo distinguatur, sed solum consequi ad unum quod sit aptum distinguere; Deus enim unus erit, etiam si nihil sit a quo dividatur. Deinde illa negatio non est relatio, sed potius negatio relationis, nam potius identitas est relatio, et illa est negatio identitatis vel certe est fundamentum eius, et consequenter non esse potest fundamentum alicuius relationis rationis. Denique, etiam si fingamus illam per modum habitudinis ad aliud, est de se prior aliis relationibus veri aut boni, quia est quodammodo abstractior, quia solum respicit aliud sub ratione entis, sic enim dicitur unum divisum a quolibet alio, cuiuscumque alterius rationis illud sit. Itaque Aristoteles, IV Metaph., c. 1, unum coniungit cum ente tamquam primam passionem; et D. Thom., I, q. 11, a. 2 ad 4, sentit post ens unum esse quod prius de unoquoque ente cognoscitur, quae latius tractant Soncin., IV Metaph., q. 24, et Iavel., tract. de Transcendentibus, c. 1.

9. *Collatio inter passiones entis in perfectione.*— Ex aliis autem duobus transcendentibus seu passionibus entis, verum est prius bono, ut docuit D. Thomas, I, q. 16, a. 4. Et patet, quia bonitas quodammodo fundatur in veritate; ut enim sanitas bona sit, supponitur esse veram sanitatem; nam si sit ficta, non erit bona, et sic de aliis. Unde verum dicit ordinem ad intellectum, bonum ad voluntatem, intellectus autem est prior potentia quam voluntas. Quod si quis velit has passiones in perfectione etiam comparare et interroget quaenam illarum perfectior sit, potest imprimis facile responderi, de formali et secundum id quod addunt supra ens, nullam dicere perfectionem, quia nihil reale dicunt seu addunt ipsi enti; unde sub hac ratione non est quod comparentur, quia comparatio supponit positivum; quatenus vero significant aliquo modo ipsum ens eiusque naturam declarant, eandem omnino perfectionem entis expriment, et ita ex hac etiam parte comparari non possunt, quia comparatio distinctionem requirit.

*Satisfit argumentis*

10. *Quare sex transcendentia numerentur.*— Ad rationem ergo dubitandi in principio positam respondetur non ideo sex transcendentia numerari, quia omnia significant distinctas passiones entis, sed aliqua distinguuntur hac ratione, aliqua vero solum ex diversa etymologia vel impositione vocis. Et ita distinguuntur res et ens, quia hoc ab esse, illud a quidditate reali sumptum est. Et similiter aliquid et unum ex prima impositione distinguuntur, quod unum ex negatione divisionis in se, aliquid vero ex negatione identitatis cum alio dicta sunt; in re vero eandem passionem significant, quia illa duo ad perfectam unitatem requiruntur.

11. Ad aliam vero partem qua probatur has passiones esse plures, respondetur primum de *duratione* fortasse non esse quid diversum ab existentia actuali; et ita eadem erit de utraque ratio. Quod si forte ex natura rei distincta est in creaturis, merito non numeratur inter passiones entis, quia est speciale quoddam ens, ut infra suo loco videbimus. Et idem dicendum est de *praesentia* locali; nam ut est *modus* aliquorum entium, speciale praedicamentum constituit, ut infra etiam dicemus. De illis autem disiunctis, finitum vel infinitum, etc., dicendum est, vel proprie non esse passiones entis in communi, sed potius esse divisiones eius, quia vel essentialiter contrahunt ipsum ens, quatenus ens est, vel certe neutrum membrum dividens illi convenit, nisi ut contracto seu determinato ad specialem aliquam rationem entis, ut de finito et infinito infra videbimus; vel certe significant diversos status eiusdem entis, ut esse in actu vel in potentia, ut infra etiam dicturi sumus; ubi etiam declarabimus quomodo existentia creaturae non sit passio eius. Vel certe hae proprietates disiunctae reducuntur ad simplices ut idem vel diversum ad unitatem.

12. *Aliquot rationis habitudines omnibus entibus communes, cur non passiones entis.*— Ad ultimum respondetur posse quidem plures negationes vel habitudines rationis excogitari a nobis in ente, quae illis passionibus quae a nobis numeratae sunt, formaliter non explicantur, quomodo nonnulli dicunt *rem* esse passionem quae formaliter addit supra ens negationem entis ficti seu chymerici. Alii addunt *idem et diversum*, nam quodlibet ens habet relationem rationis identitatis ad se ipsum et relationem diversitatis ab alio, saltem a non ente seu ab ente rationis. Item fingi potest relatio similitudinis ad alterum, saltem fundamentaliter, ut, sicut aequale ponitur passio quantitatis, ita assimilabile (ut sic dicam) sit passio entis; nullum enim est ens,



quod non possit habere aliquid sibi simile aliquo modo, saltem analogice; et infinitae aliae denominationes huiusmodi possunt multiplicari, ut in argumento tactum est. Dicendum nihilominus est illas passiones sufficienter numerari, vel quia illae solae conducunt ad naturam entis explicandam et habent, tum in rebus, tum in usu hominum, sufficientem causam et utilitatem ob quam excogitatae sint et distinctae; vel, si quae aliae huiusmodi excogitari possunt, in his virtute continentur, vel ad eas revocantur.

13. *Res non dicit formaliter negationem entis ficti.*— Quod igitur *res* de formali dicat negationem aliquam entis ficti, fictum quidem est et praeter omnem latinam significationem vocis et communem conceptionem hominum; nam *res* non est terminus negativus seu privativus, sed omnino positivus. Est etiam impertinens illa negatio, tum quia obscurius est ad explicandum quid sit ens fictum quam quid sit *res*; tum etiam quia si illa negatio necessaria est ad passiones entis, potius in *vero* fundanda est; dicitur enim verum ens quod non est fictum; vel, si formaliter sumatur in *uno* seu *aliquo* includitur; quia in negatione, quam dicit *aliquid*, includitur, ut sit divisum a quolibet alio, et consequenter etiam ab ente ficto. Eo vel maxime quod ratio entis ficti ut sic in negatione consistit; illud enim est proprie ens fictum, quod ita mente apprehendi potest ut in se involvat repugnantiam et impossibilitatem, quae est negatio quaedam, et ideo reale ens non proprie dividitur ab illo per negationem, sed formaliter per suam realitatem, ut latius disputatione sequenti in simili dicemus. Et eadem ratione excluduntur similes negationes, quae ex sola reflexione intellectus fieri possunt, ut non esse diversum a se, esse diversum ab ente rationis, non esse sibi inaequale et similes, quae et inutiles sunt et in infinitum multiplicari possunt et sunt mera opera rationis, quae non sufficiunt ad passiones entis, ut diximus.

14. Atque hinc etiam constat non oportere addere inter passiones entis identitatem vel diversitatem, quia ut haec possunt formaliter dicere relationes rationis, non pertinent ad passiones entis, ut supra dictum est generaliter; quia tales relationes non per se conveniunt enti, sed extrinsecus tantum per cogitationem, reflexionem, aut comparisonem mentis; si autem sumantur quatenus in re habent aliquod fundamentum positivum vel privativum, sic sufficienter continentur sub unitate, ut infra dicemus. Et eodem modo reducitur ad unitatem similitudo (si haec communis est omni enti), nam si sumatur pro vera relatione, illa sine dubio non est passio, quia nec convenit semper omni enti, et cui convenit, non per se, sed ex accidente convenit. Et si forte dicatur creaturae existenti semper convenire, tamen etiam respectu illius erit quoddam accidens, sicut relatio creaturae. Si autem sumatur fundamentaliter, sic ad unitatem reducenda est; sic enim dixit Aristoteles similitudinem in unitate fundari. Denique iuxta hunc modum, ad *veritatem* reducitur denominatio *intelligibilis*, *significabilis*; ad *bonum* reducitur ratio *integri*, et *perfecti*, et denominatio *amabilis*, *appetibilis*, et similes; non est ergo necesse plures passiones confingere.

### SECTIO III

#### *QUIBUS PRINCIPIIS DEMONSTRARI POSSINT PASSIONES DE ENTE, ET AN INTER EA HOC SIT PRIMUM: IMPOSSIBILE EST IDEM SIMUL ESSE ET NON ESSE*

1. *Ratio dubii pro utraque parte.*— Haec quaestio praecipue proponitur propter Aristotelem, qui, IV Metaph., c. 3, text. 8, docuit illud principium, *impossibile est idem simul esse et non esse*, esse primum ac fere unicum, ad quod resolvi debent omnes huius scientiae demonstrationes, immo et aliarum scientiarum, saltem virtualiter. In contrarium autem esse videtur primo, quia propria et intrinseca scientiae principia sumi debent ex causa seu ratione ob quam praedicatum convenit subiecto; unde idem Aristoteles, I Poster., docet posteriorem passionem demonstrari per priorem, primam vero omnium, vel non demonstrari, sed immediate convenire subiecto, vel solum quoad nos demonstrari per definitionem subiecti; definitionem autem ipsam nullo modo demonstrari, sed immediate cognosci de subiecto. Sic igitur in omni scientia primum principium erit illud in quo vel prima passio de subiecto vel definitio de definito praedicatur; ergo et in praesenti scientia principia propria et intrinseca sumenda erunt ex connexione primae passionis cum ratione entis, vel rationis entis cum ipso ente; erit ergo hoc primum principium, *omne quod est, unum est*, quia unum est prima passio entis, ut diximus, vel

certe hoc: *Omne ens est habens essentiam*. Non ergo est illud: *Impossibile est idem simul esse et non esse*, quia illud est valde extrinsecum, et non potest deservire ad proprias demonstrationes a priori, sed ut summum ad reductionem ad impossibile. Adde, principium illud a priori reduci ad illud: *Omne ens est unum*; ideo enim non potest simul esse et non esse, quia unum tantum determinate esse potest. Quomodo multi dicunt, primo convenire enti quatenus est ens, esse divisum a non ente, quam proprietatem putant in unitate includi, de quo postea videbimus. Tandem augetur difficultas, quia etiam inter principia quodammodo intrinseca et universalissima non videtur illud esse primum, quia est negativum; omnis autem negatio in priori aliqua affirmatione fundatur; ergo datur aliud principium prius illo, in quo fundetur, quale erit, vel hoc, *Necesse est idem esse, vel non esse*; vel hoc, *unum contradictorium necessario aliud destruit*.

*Aliquot certiora pronuntiata pro sensu quaestionis declarando*

2. *Principiis eget metaphysica in quae ultimo resolvat conclusiones.*— In hac re omnes conveniunt in metaphysica (sicut in aliis scientiis) necessaria esse aliqua prima principia per se nota, quibus passiones demonstrantur, sive sit sermo de passionibus transcendentibus entis ut ens est, sive de proprietatibus specialioribus aliquorum entium ut sunt intra latitudinem formalis obiecti metaphysicae, iuxta ea quae in prooemiali disputatione dicta sunt; quamvis, quia ens ut ens in ordine ad hanc scientiam est prius caeteris, passiones illi adaequatae sunt etiam priores et consequenter etiam universalissima principia, quae ex ipsis transcendentibus aliquo modo constant, priora sunt reliquis; et ideo de illis nunc praesertim agimus. Quod ergo talia principia sint necessaria, eadem ratio est in hac scientia, quae est in caeteris, quia etiam illa per demonstrationem procedit, resolvendo conclusiones in principia; in qua resolutione non potest in infinitum procedere, ut constat ex generali doctrina de causis; in nullo enim causarum genere in infinitum procedi potest; ergo necesse est ut sistat in principiis seu propositionibus per se notis.

3. *Unicum principium ad id muneris non sufficit.*— Secundo, ex hac ratione concludi videtur haec principia non tantum unum, sed plura, et ad minus duo esse debere, saltem quoad hoc ut sint propositiones immediatae et a priori indemonstrabiles. Ratio est, quia ex uno solo principio nihil concludi potest, ut constat ex dialectica; quia formalis illatio requirit tres terminos, qui in uno principio esse non possunt; ergo ultima resolutio necessario fit ad duo principia immediata. Quia si unum sit immediatum et aliud demonstrabile, illud quod demonstrabile est ulterius erit resolvendum et demonstrandum; non potest autem demonstrari per solum aliud principium immediatum; ergo adiungendum est aliud; quod si illud etiam demonstrabile sit, aliud inquirendum erit, per quod demonstretur; ne igitur procedatur in infinitum, sistendum est in aliquo, etiam indemonstrabili; sunt ergo necessaria plura principia prima etiam in hac scientia. Atque hinc sequitur, si de primo principio in hoc sensu loquamur, scilicet, ut solum dicit propositionem immediatam, seu per se notam, hoc sensu non esse quaerendum unicum principium primum in hac scientia; neque in eo potuisse loqui Aristotelem citato loco, quia revera nullum est quod hoc modo sit unicum, et dumtaxat primum. Igitur in alio sensu, potest inquire principium caeteris prius, scilicet vel quia est nobis notius, vel quia in usu seu causalitate est prius et universalius vel quia omni modo est indemonstrabilius, et in hoc sensu est controversia inter auctores quodnam sit primum metaphysicum principium.

*Varia placita*

4. Prima sententia est non esse primum illud quod ex Aristotele retulimus, sed hoc, *omne ens est ens*. Ita tenet Antonius Andreas, IV Metaph., q. 5. Et ad Aristotelem respondet vocasse illud aliud primum principium inter ea quae circumferuntur ut generalia, ut sunt illa: *Omne totum est maius sua parte*, etc. Sed hic auctor etiam in suis principiis non recte loquitur, quia illa propositio est identica et nugatoria; et ideo in nulla scientia sumitur ut principium demonstrationis, sed est extra omnem artem. Alioqui in omni scientia primum principium esset illud in quo subiectum scientiae de se ipso praedicaretur. Et tam per se notum esset primum principium unius scientiae sicut alterius; nam omnis propositio identica aequae nota est, ut, *ens mobile est ens mobile*, sicut *ens est ens*. Et in hac scientia plura essent principia aequae nota,

quamvis non aequae universalia, ut *Substantia est substantia, Accidens est accidens*. Apparentius ergo loqueretur si loco entis sumeret aliquam definitionem vel descriptionem explicantem rationem entis, eamque de ente praedicaret; nam, licet definitio et definitum in re idem sint, tamen propositio, in qua definitio de definito praedicatur, non est identica, sed doctrinalis, quia in ea conceptus distinctus de confuso praedicatur. Et hoc modo favet huic opinioni ratio dubitandi in principio posita. Videtur tamen repugnare Aristotel., dicto c. 3, lib. IV Metaph., dum absolute concludit illud principium, *impossibile est, etc.*, esse simpliciter omnium primum, et ad illud omnes demonstrationes resolvi.

5. Alii dicunt non illud ab Aristotele positum, sed hoc, *necesse est quodlibet esse, vel non esse*, esse primum principium omnium propter rationem supra tactam, quia hoc est affirmativum, illud vero aliud negativum. Neque enim verum est quod Iavell., lib. IV Metaph., q. 6, existimavit, illa duo principia eandem rem diversis verbis significare, et ita non esse reputanda duo, sed unum; nam, si res attentius consideretur, diversae sunt res quae illis principiis significantur. Sicut enim in contrariis, vel privative oppositis, aliud est quod non possint simul convenire eidem, aliud vero quod alterum eorum necessario debeat convenire, ut per se est manifestum, ita etiam in contradictorie oppositis haec duo formaliter et in rigore diversa sunt. Haec autem significantur per illa duo principia; nam per illud, *impossibile est idem simul esse et non esse*, significatur repugnantia contradictorie oppositorum; per illud vero, *quodlibet est vel non est*, significatur immediatio eorundem, scilicet, inter illa non posse cadere medium. Et ita, ut distincta ponuntur ab Aristotele, lib. IV Metaph., c. 7, text. 27 et 28, et lib. III, c. 2, et I Poster., c. 8, text. 26 et 27, ubi dialecticis terminis eadem principia ponit: *Impossibile est idem simul affirmari et negari de eodem; Necesse est idem affirmari vel negari de eodem*, quae aliis verbis a dialecticis dici solent: Impossibile est duas contradictorias esse simul veras, et, impossibile est esse simul falsas; quae duo constat esse valde diversa, et primum fundari in illo principio, impossibile est idem simul esse et non esse; secundum vero in alio, necesse est esse vel non esse. Ex his vero rationibus simul constat, comparando haec principia inter se, prius esse illud de impossibili ab Aristotele positum quam aliud de necessario. Primo quidem, quia per se evidentius est contradictoria habere inter se repugnantiam quam habere immediationem. Illud enim prius statim in ipsis terminis relucet, secundum autem nonnullis indiget discursu et declaratione. Unde illud prius commune est omnibus oppositis, nam quatenus opposita sunt, inter se pugnant; posterius autem non omnibus convenit, ut constat ex c. de Opposit. Secundo, quia prius secundum rationem est duas contradictorias non posse esse simul veras, quam non posse esse simul falsas, sicut veritas ex se prior est falsitate.

#### *Quaestionis resolutio*

6. *Duo demonstrandi genera et proprietates earum.*— Igitur, ut quaestioni respondeamus, distinguere oportet duplex genus demonstrationis: unum dicitur ostensivum, aliud deducens ad impossibile. Primum est per se et directe ad scientiam requisitum; et in eo proceditur a causis ad effectus et ab essentia rei ad passiones demonstrandas; loquimur enim in scientia a priori et propter quid; nam quae est a posteriori, non resolvitur in principia de quibus nunc agimus, sed in experientiam potius. Secundum demonstrandi genus per se necessarium non est, sed interdum adiungitur propter hominis defectum, ignorantiam vel proterviam; et utile est non solum ad conclusiones, sed etiam ad prima principia persuadenda et probanda; quod in priori modo fieri non potest, quia, cum sint immediata, non habent medium a priori per quod probentur; tamen ad impossibile deducendo ostendi potest eorum veritas et convinci intellectus ut eis assentiatur. Immo in omni genere demonstrationis, quamvis principia demonstrent a priori conclusionem et per se nota sint, vis illationis virtute fundatur in deductione ad impossibile, scilicet, quia fieri non potest quod idem simul sit et non sit, vel quod duae contradictoriae simul sint verae. Propter quod dixit Averroes, II Metaph., c. 1, sine illo principio ab Aristotele posito neminem posse philosophari, disputare aut ratiocinari.

7. *Quis sit modus demonstrandi a priori in hac scientia.*— Dicendum ergo est imprimis, ad demonstrandum a priori passiones entis de ente, prima principia sumenda esse vel ex ratione ipsius entis, vel ex prima passione eius ad demonstrandas posteriores; et hoc convincit discursus in principio factus. Et confirmatur, nam quoad hoc eadem est ratio de hac scientia quae de aliis;

nam cum proprietates entis suo modo sint passiones eius, ex eius intrinseca ratione et essentia oriri necesse est, quia hoc est de intrinseca ratione propriae passionis; poterunt ergo per ipsam essentialem rationem entis demonstrari, sive hoc sit per distinctionem ipsarum rerum inter se sive in ordine ad conceptus et discursus nostros, ita ut unum vere sit ratio alterius, quod ad scientiam humanam et demonstrationem sufficit. Unde si passiones entis sunt ita inter se connexae ut una ex altera oriatur, illa, quae fuerit prima, constituet unum principium ad demonstrandas alias; si vero (quod fieri interdum potest) plures passiones cum ratione entis immediate connectantur, solum per ipsam rationem entis poterunt de ente demonstrari; quomodo autem id fiat, postea in discursu scientiae constabit. In hoc ergo ordine primum principium erit illud in quo ratio vel essentia entis distincte concepta de ipso ente praedicatur.

8. *Quod sit primum principium deductionis ad impossibile.*— Secundo dicendum est in alio genere seu modo demonstrandi per deductionem ad impossibile, primum principium, in quo totus ille modus demonstrandi nititur esse: *Impossibile est idem esse et non esse*. Hoc per se notum est, quia omnis deductio ad impossibile in hoc tandem sistit, quod sequatur idem simul esse et non esse, et quamdiu ad hoc non deducitur non est satis demonstrata impossibilitas; postquam vero ad hoc deductum est, ibi sistitur, tamquam in ultimo termino resolutionis et notissimo principio. Et, quamvis interdum possit deduci impossibile ad aliud incommodum, quod duae contradictoriae sint simul falsae, seu ut idem neque sit neque non sit, tamen hoc ipsum in tantum est impossibile in quantum virtute includit aliud, scilicet, quod simul de aliquo negetur aliquid et non negetur, quod est affirmare et negare idem de eodem.

9. *Quod sit humanae scientiae principium absolute primum.*— Tertio dicendum est, hinc fieri ut illud principium, *impossibile est idem simul esse et non esse*, sit simpliciter primum in humana scientia, et praesertim in metaphysica. Ratio est, nam illud principium recte vocatur primum, a quo sumit firmitatem tota humana scientia; sed huiusmodi est praedictum principium, quia ex illo non solum conclusiones, sed prima etiam principia demonstrantur. Immo addit Fonseca, lib. IV Metaph., c. 3, q. 1, sect. 3, per illud principium confirmari a priori prima principia. Sed non video cur deductionem ad impossibile vocet a priori, cum non sit ex causa, sed per extrinsecum medium. Nisi fortasse intelligat per huiusmodi principium demonstrari a priori, non quidem veritatem aliorum principiorum, quod fieri non potest, sed impossibilitatem ac repugnantiam, quae ex opposito sequitur; ultima enim resolutio omnis repugnantiae fit ad contradictionem, ad quam per illud principium fit deductio. Hoc vero satis est ut illud principium dicatur simpliciter primum; nam, cum ingenium humanum non statim comprehendat caetera principia prima prout in se sunt, multum iuvatur et confirmatur in eorum assensu deducendo ad impossibile, quod in caeteris fieri potest per illud primum; ipsum autem nullo modo ostendi potest etiam deductione ad impossibile, quia nullum aliud impossibilius inferri potest, quam sit illud quod in eo pronuntiatur, quod est signum illud esse maxime notum et primum. Dixi autem usum huius principii esse maxime necessarium in hac scientia, quia cum ens simplicissimum sit, vix potest definiri, et ratio eius distinctius explicari et applicari ad veras demonstrationes efficiendas, ita ut propositiones assumptae identicae non censeantur.

*Solvuntur rationes oppositae*

10. Ad rationem ergo dubitandi in principio positam, quoad priorem partem, iam explicatum est Aristotelem non vocare illud principium primum quia illo utatur metaphysica ad suas proprias et directas demonstrationes; nam potius idem Aristot., I Poster., c. 8, text. 26, dicit non solere illud principium formaliter ingredi demonstrationem. Dicitur ergo primum principium aliis rationibus iam explicatis; est enim quasi universale fundamentum, cuius virtute omnes demonstrationes nituntur, et alia principia possunt, saltem quoad nos, declarari ac confirmari, quamquam id semper fiat adiuncto aliquo alio principio, vel concesso, vel per se noto. Ad primam confirmationem respondetur veritatem illius principii proprie non fundari in unitate, sed in oppositione et repugnantia contradictoriorum, unde non recte probabitur quod est non posse simul non esse, quia quod est unum tantum est, tum quia, ut infra dicam, ens quatenus unum non proprie dividitur a non ente, sed ab alio ente, quia a non ente potius dividitur quatenus ens; tum etiam quia haec ipsa divisio entis a non ente fundatur in eo quod non potest

idem simul esse et non esse, propter repugnantiam formalem horum terminorum. Ad ultimam confirmationem dicitur primo, fieri quidem posse ut aliqua affirmativa propositio, quatenus simplicior est quam negativa, prior sit quam illa ordine generationis seu compositionis, et tamen quod in ratione veritatis per se notae non sit tam manifesta, neque aequae prima; et ita dici potest de illo principio, nam, licet tota veritas eius fundetur in natura ipsius esse, quod per se excludit non esse, tamen hoc ipsum per illud principium, quamvis negativum, explicatur evidentissime et aptissime ad fundandas demonstrationes deducentes ad impossibile.

11. *In genere moris quod primum principium, et collatio cum primo in genere naturae.*— Atque hinc facile solvuntur multa argumenta, quae fieri solent contra sententiam Aristotelis de hoc primo principio, ut quod constet multis vocibus neque universalissimis, neque admodum notis, ut sunt *simul, idem*, quae relationes significant, quae sunt posteriores absolutis. Item quod sit propositio modalis, quae supponit priorem de inesse. Ad haec enim et similia dicitur, eis ad summum probari hanc non esse primam propositionem. seu complexionem quam intellectus format, non tamen quod non sit primum principium, quia ad hoc non est necesse ut sit prima propositio, sed solum quod ex illo quodammodo pendeat omnium aliarum veritatum scientia, ipsum vero ita sit verum, notum et indemonstrabile, ut ab alio non pendeat; haec autem conveniunt illi principio, ut ostensum est. Posset autem principium illud ad simpliciores terminos reduci dicendo: *Nullum ens est et non est*; sic enim conficitur ex simplicibus terminis et ex universalissimis ac primis, quod necessarium est in primo principio, ut possit omnibus scientiis esse commune, ut notavit D. Thom., I-II, q. 94, a. 2. Ubi advertit hoc principium esse primum in speculabilibus; nam in practicis seu moralibus datur aliud primum, scilicet, *omne bonum est faciendum et malum vitandum*; nam, quia omnes actiones morales circa bonum et malum versantur, ideo primum principium morale ex illis terminis constare debuit; tamen, quia practica in speculativa fundantur, ideo, quod in speculativis est primum principium, simpliciter et absolute est primum. An vero hoc principium ita sit notum, ut a nemine possit mente negari, quamvis voce contendere videatur; item quibus modis suadendum sit contra eum qui proterve illud negaret, vel eum ex concessis redarguendo, vel ad inconvenientia sensibus repugnantia eum deducendo, tractat late Aristoteles, IV Metaph., c. 3, 4 et 5, quibus locis videri possunt expositores, quia non est quod in hac re amplius immoremur.